

SUPREMA SACRA CONGREGATIO  
SANCTI OFFICII  
RESPONSUM DE VALIDITATE BAPTISMI IN  
QUIBUSDAM SECTIS COLLATI (\*)

Huic Supremae S. Congregationi a nonnullis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis Ordinariis locorum propositum fuit dubium:

Utrum, in diudicandis causis matrimonialibus, baptismus in sectis Discipulorum Christi, Presbyterianorum, Congregationalistarum, Baptistarum, Methodistarum collatus, posita necessaria materia et forma, praesumendus sit invalidus ob defectum requisitae in ministro intentionis faciendi quod facit Ecclesia vel quod Christus instituit, an vero praesumendus sit validus, nisi in casu particulari contrarium probetur."

FERIA IV, DIE 21 DECEMBRIS 1949

Em.mi ac Rev.mi DD. Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi; praehabito RR. DD. Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandarunt:

*Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

Sequenti autem Feria V, die 22 eiusdem mensis et anni, SS. mus D. N. D. Pius, divina Providentia Papa XII, in solita Audientia Exc.mo P. D. Adessori S. Officii impertita, relatam sibi Em.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit atque publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 28 decembris 1949.

PETRUS VIGORITA

*Supr. S. C. S. Officii Notarius*

---

(\*) AAS, XLI (1949), 650.

## ANOTACIONES

Quaestio a nonnullis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis Ordinariis locorum S. Officio proposita ab eoque soluta agit de praesumptione validitatis vel invaliditatis baptismi, quoad intentionem ministri, in sectis Discipulorum Christi, Presbyterianorum, Congregationalistarum, Baptistarum, Methodistarum collati, in diudicandis causis matrimonialibus.

Est itaque quaestio iuridica non theologica, quamvis nitatur doctrina de fide definita vel communiter in Ecclesia recepta, de qua mox agemus.

Quaesitum est enim utrum baptismus in praedictis sectis collatus praesumendus esset invalidus, ob defectum requisitae in ministro intentionis, et ideo non esset standum pro valore matrimonii ab eiusmodi baptizatis initi, contra principium in cc. 1.014 et 1.070, § 2 sancitum.

At responsum S. Officii, etsi angustis finibus conclusum, plures complectitur casus, nempe usum privilegii paulini et dissolutionem in favorem fidei, per supremam Romani Pontificis auctoritatem, matrimonii tum legitimi tum mixti.

Nam matrimonium initum inter duas personas in una ex praedictis sectis baptizatas posset solvi ex privilegio paulino, utpote legitimum tantum, si collatus baptismus esset invalidus; initum autem inter eiusmodi baptizatum et baptizatum in Ecclesia catholica vel in aliis sectis posset solvi a Romano Pontifice in favorem fidei. Tandem initum, sine dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, inter baptizatum in memoratis sectis et catholicum ritus latini vel baptizatum rituum orientalium esset nullum.

Verum est quidem S. Officium declarasse eiusmodi baptismum praesumendum esse validum *in diudicandis causis matrimonialibus*, sed verbum *causa* in casu latius debet patere, secus responsum usu careret, quia ea quae, sive directe sive indirecte, in iure aut in facto, circa privilegium paulinum et matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur solum cognoscit S. Officium (c. 247, § 3), quod in re matrimoniali disciplinae tramite procedit.

Ceterum responsum S. Officii non coarctari ad iudiciarum ordinem apertis verbis docet P. ULRICUS BESTE, O. S. B. (1), qui, utpote Consultor S. Congregationis, mentem eiusdem optime novit.

## 2. De validitate baptismi in sectis haereticis seu schismaticis collati,

(1) ULRIC BESTE, O. S. B., *The minister's intention in Baptism*, in "The American Ecclesiastical Review", 4, 1950, p. 257. Haec P. BESTE commentaria ad responsum S. Officii sunt numeris omnibus absoluta.

disputatum est a priscis usque Ecclesiae temporibus, quamvis non prae-cise ob defectum requisitae in ministro intentionis.

Notum est omnibus S. CYPRIANUM, auctoritatem Agrippini Carthagi-niensis Episcopi secutum, docuisse neminem posse extra Ecclesiam bapti-zari *cum sit Baptisma unum in sancta Ecclesia constitutum* (2).

Haec opinio tantam speciem veri praeseferebat, ut ipse AUGUSTINUS (3) fateri non sit veritus: "*Tu modo dicis quid ad Iubaianum scripserit Cy-prianus? Iam legi, fateor; et profecto issem in eandem sententiam, nisi me ad diligentiore considerationem revocaret tanta auctoritas aliorum.*"

Et revera si quis una rationis lumine, fide non illustratae, duceretur, Cypriano assentiretur: nam actio sacramentalis est vicaria Christi, vica-rius autem non potest valide agere, nisi sit legitime autorizatus. Poterat opponi S. Cypriano quemlibet baptizatum accipere potestatem ministrandi hoc Sacramentum, quae nequit auferri quia nititur caractere baptismali, in anima indelebiter impresso (4). Sed nemo ad refellendam opinionem S. Cypriano usus est eiusmodi argumentatione, et optimo fato quidem, secus cupiens vitare Charybdin, incidisset in Scyllam, seu habuisset inva-lidum baptismum a judaeo vel pagano collatum, ob defectum potestatis.

Sed STEPHANUS Papa (254-257) Cypriano opposuit traditionem roma-nam rescribens: "*Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poeniten-tiam*" (5).

Uberiore sermone commemorat traditionem non rebaptizandi haere-ticos S. VINCENTIUS LIRINENSIS: "*Quondam igitur venerabilis memoriae Agrippinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebap-tizandum esse censebat.*

Denique in Epistola quae tunc ad Africam missa est, his verbis san-xit: "*Nihil innovandum nisi quod traditum est.*" Intelligebat etenim *vir sanctus et prudens nihil aliud rationem potestatis admittere, nisi ut omnia,*

(2) Ep. 70, 1; PL 3, 1076.

(3) Lib. 3 de Baptismo, c. 4; PL 43, 142.

(4) Concilium Tridentinum, de sacramento ordinis, c. 4, hoc argumento ostendit potes-tatem ordinis Sacerdotum esse perpetuam:

"Quoniam vero in sacramento ordinis, sicut et in baptismo et confirmatione, character imprimitur, qui nec auferri nec deleri potest, merito Sancta Synodus damnat eorum senten-tiam, qui asserunt Novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos efflic posse, si verbi Dei ministerium non exerceant." DB 960.

(5) Ep. 74 (S. Cypriani), 1; PL 3, 1174.

*qua fide a patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur; nosque religionem, non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret sequi oportere; idque esse proprium christianae modestiae et gravitatis, non sua posteris tradere, sed a maioribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novistas” (6).*

Neque CYPRIANUS negavit existentiam contrariae consuetudinis, sed eiusdem valorem est inficiatus: “*Non est de consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum” (7).*

Item FIRMILIANUS ultro agniscit morem rebaptizandi haereticos recen-ter apud Afros invaluisse: “*Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit ut veritati consuetudinem praeferat, aut qui, perspecta luce, tenebras non derelinquat? Nisi si et Judaeos, Christo adventante, id est veritate, adiuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quod, relicta nova veritatis via, in vetustate permanserint. Quod adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse” (8).*

Attamen rescripto Stephani Papae non acquievit Cyprianus, qui acta novi concilii 87 Episcoporum misit Romam, sed Pontifex legatos ne recepit quidem, quin immo universae fraternitati imperavit ne eos hospitio reciperent.

Donatistae autem ex sententia Episcoporum Africae coegerunt invaliditatem baptismi collati a ministro in peccato mortali constituto: nam si haeretici nequeunt valide baptizare, quia non possunt dare Spiritum Sanctum, quem non habent, idem dicendum de baptismo collato a ministro peccatore, qui Spiritum Sanctum non habet.

Rem accuratius definiverunt Concilia Arelatense (a. 314) et Nicaenum (a. 325), quod distinguens inter causam Catharorum, i. e. Novatianorum, et Paulinistarum, edixit: “*Catharos, si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto et magno Concilio, ut impositionem manus accipientes sic in clero permaneant” (9).* “*De Paulinistis ad Ecclesiam catholicam confugientibus, definitio prolata est ut baptizentur omnimode” (10).*

Causa discriminis fuit non vita ministrorum, sed ritus baptismi, uti authentice interpretatus est Innocentius I: “*Quod idcirco distinctum esse*

(6) Comm. 1, c. 6; PL 50, 645-646.

(7) Ep. 71, 3; PL 4, 423.

(8) Ep. ad Cyprianum; PL 3, 1218.

(9) DB. 55.

(10) DB 56.

*ipsis duabus haeresibus, ratio manifesta declarat, quia Paulinistae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti minime baptizant, et Novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant*" (11).

S. AUGUSTINUS ostendit hanc veritatem niti distinctione inter causam ministerialem et principalem, quae in casu est Christus: "*Etenim dictum est de Domino, antequam pateretur, quia baptizat plures quam Ioannes; deinde adiunctum est: "quamvis ipse non baptizaret, sed discipuli eius"* (Io. 4, 1-2). *Ipse et non ipse: ipse potestate, illi ministerio; servitutem ad baptizandum illi admovebant, potestas baptizandi in Christo permanebat. Ergo baptizabant discipuli eius et ibi adhuc erat Judas inter discipulos eius; quos baptizavit Judas non sunt iterum baptizati; et quos baptizavit Ioannes sunt iterum baptizati? Plane iterum, sed non iterato baptismo. Quos baptizavit Ioannes, Ioannes baptizavit, quos autem baptizavit Judas, Christus baptizavit. Sic ergo quos baptizavit ebrius, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam at-tendo, per quam mihi dicitur: "hic est qui baptizat"* (12).

Distinctionem autem illustrat exemplis sementis, quae fructificat, etiamsi sordidis manibus spargatur, lucis, quae non coinquinatur etsi lutum illuminat, canalis, qui etsi lapideus hortos irrigat (13). Sed omnis comparatio claudicat et in errorem inducere potest.

Verum est quidem baptismum esse donum, sigillum Christi, at is conficitur a ministro, quando administratur, non potest adhiberi ab alio praeformatus, uti contingit in Eucharistia.

Comparationibus deceptus, ipse AUGUSTINUS non pernegavit validitatem baptismi, quando is administratur per ludum aut in mimo, sed putavit "*divinum iudicium per alicuius revelationis oraculum. concordi oratione et impensis supplici devotione gemitibus in Concilio implorandum fore*" (14).

Verius nobis loqui videmur dicendo Christum Dominum cuilibet homini viatori potestatem fecisse baptismum conferendi, quia "*ad ministerium eius qui vult omnes homines salvos fieri pertinet ut in his quae sunt de necessitate salutis homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem sacramenta maximae necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem, quia pueris aliter omnino subveniri non potest, et adulti non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi et quantum ad culpam et quantum poenam. Et ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est ut et*

(11) DB 97.

(12) In Io. tr. 3, 18; PL 35, 1424.

(13) In Io. tr. 5, n. 15; PL 35, 1422.

*materia baptismi sit communis, scilicet aqua, quae a quolibet de facili haberi potest, et minister baptismi etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suae dispendium patiatur*" (15).

Comprobata magisterio Ecclesiae (16) validitate baptismi a ministro haeretico, schismatico vel peccatore collati, nova enata est quaestio, scilicet quomodo minister haereticus vel schismaticus possit ponere actionem sacramentalem, quae est vicaria Christi.

Vicarius enim ut valide agat debet legitime auctorizari, sed nemo est legitime auctorizatus ad sacramenta administranda, nisi dependenter ab Ecclesia catholica, cui Christus potestatem sanctificandi, uti docendi ac regendi, contulit.

Iam monuimus S. Augustinum rei caput non attigisse: nam sacramentum baptismi revera conficitur a ministro quando confertur.

Haec quaestio explicite et ex professo non est tractata nisi a Theologis et canonistis a saeculo XII, qui imprimis monuerunt non sufficere ad validam collationem sacramenti meram positionem ritus, seu prolationem verborum super materiam, sed requiri intentionem administrandi sacramentum a Christo institutum.

Apertissimis verbis requirit intentionem HUGO DE S. VICTORE († 1141), De Sacramentis, lib. 2, p. 6, c. 13: "... *Ridiculum autem omnino est ut, ubi intentio agendi nulla constat, opus esse dicatur, propter speciem quandam assimilatae operi, non propter hoc assumptam, sed forte provenientem ex alio quocumque... Vide ergo et considera quod rationabile esse oportet opus ministeriorum Dei, nec propter solam formam praeiudicare ubi intentio agendi nulla est*" (17).

Item auctor Summae Sententiarum (ca. 1155), tract. 6, c. 9: "... *Non videtur sapientibus quod debeat baptismus dici, ubi non est intentio baptizandi*" (18).

PETRUS LOMBARDUS autem († ca. 1160), in l. 4, d. 13, c. 1, sibi proponit quaestionem quomodo minister, qui de hoc sacramento non credit, possit illud valide conficere, cum videatur non posse habere intentionem: "*Sed si nan credit de illo mysterio, sicut veritas habet, numquid potest intende-*

(14) Contra Donatistas, l. 7, c. 53; PL 43, 243.

(15) S. Th. III, q. 67, a. 3.

(16) Nicolaus I in resp. ad consulta Bulgarorum (c. 104) edixit baptismum valide conferri etiam a Iudaeo vel pagano, dummodo id fiat in nomine SS. Trinitatis. Idem docuit Innocentius IV, Comm. in c. 2, X, III, 42, et definiit Concilium Florentinum, decreto pro Armenis: "In casu autem necessitatis non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam *paganus et haereticus* baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia." DB 696.

(17) PL 176, 459-460.

(18) PL 176, 135.

*re illud conficere? Et si non intendit, numquid conficit? Aliqui dicunt, etiam non recte de illo mysterio sentientem posse intendere, non quidem illud conficere, quod iam esset recte credere, sed id agere quod geritur ab aliis, dum conficitur, et sic adhibetur intentio; et si intentio dicatur deesse conficiendi illud mysterium, tamen, ex quo intendit ea dicere et agere, quae ab aliis asseruntur, impletur mysterium” (19).*

Plures alii necessitatem intentionis docuerunt; PRAEPOSITINUS CREMONENSIS († 1217) autem determinavit quid debeat attingere intentio ut actio sacramentalis valide ponatur et primus adhibuit formulam “saltem facienda quod facit Ecclesiae”, quae a scholasticis, uti v. g. GULIELMO ALTISSIODORENSI (20), usurpata et documentis ecclesiasticis consecrata, tandem in Tridentino (21) est definita.

At iam ante Tridentinum exorta erat quaestio utrum posset minister, qui non credit in effectu baptismi, gerere intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

Affirmative respondet S. ALBERTUS MAGNUS († 1280), in 4, dist. 6, art. 11, quia intentio faciendi quod facit Ecclesia exprimitur per verbum baptizandi, cum serio dicitur. “Ego te baptizo”. Item S. BONAVENTURA, in 4, d. 5, a. 1, q. 2. Non diversa habet S. THOMAS, qui in 4, d. 6, q. 1, a. 2, qc. 3, ad 2, refert et videtur approbare opinionem eorum, qui tenebant sufficere expressionem intentionis per verba ab Ecclesia instituta, saltem in sacramentis necessitatis, uti baptismo, in quo “actus baptizantis tam sollicitate expressus est ad intentionis expressionem”.

At cum Novatores, qui baptismum virtute sanctificandi destitutum docebant et odio in Ecclesiam flagrabant, innumeros fideles ab ea divellissent, nonnulli theolofi, inter quos eminent CATHARINUS et SALMERON, ne tot invalide baptizatos assererent, protulerunt opinionem, quam penes sufficeret intentio externa, quam habet et externe manifestat, qui rite profert formam super materiam aptam, serio, non iocose nec derisorie. Sed haec opinio, quamvis a Tridentino non fuerit damnata, non obtinuit apud theologos.

BELLARMINUS (22) autem ostendit quomodo haeretici, qui causalitatem instrumentalem sacramentis non agnoscunt, possint gerere intentionem faciendi quod facit Ecclesia: “Neque dicit (Concilium Tridentinum) oportet

(19) PL 192, 868.

(20) Summa aurea, l. 4, q. 7: “Si quis uteretur forma debita verborum et haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ut sumatur verbum confuse, i. e. si intendit facere quod consuevit Ecclesia, baptismus esset.”

(21) Sess. VII, c. 11; DB 854.

(22) De sacramentis in genere, l. 1, c. 27.

*re ministrum intendere quod Ecclesia intendit, sed quod Ecclesia facit. Porro quod Ecclesia facit non finem sed actionem significat. Denique ex praxi id constat; nam neque vetus Ecclesia rebaptizabat baptizatos parvulos a Pelagianis, nec nos rebaptizamus baptizatos a zwinglianis, et calvinistis, et tamen scimus omnes istos baptizare sine intentione veri finis, qui est tollere peccatum originale."*

Hac animadversione S. Roberti Bellarmini nituntur communiter theologi et praxis S. Sedis, uti videre est in pluribus responsis a S. Officio datis.

S. Officium enim rogatum utrum praesumendum esset invalidum matrimonium, ob impedimentum disparitatis cultus, initum inter certe baptizatum et baptizatum in quibusdam sectis, constanter respondit attendendum esse ad materiam et formam a ministro adhibitam (23).

At anno 1931 P. JOS. DONOVAN, C. M., tunc iuris canonici professor in seminario S. Lodovici, in periodico americano *The Ecclesiastical Review* plures edidit articulos, in quibus contendit baptismum in sectis Discipulorum Christi, Presbyterianorum, Congregationistarum, Baptistarum, Methodistarum et in ecclesia libera catholica (24) collatum, invalidum praesumendum esse ob defectum in ministro intentionis faciendi quod facit Ecclesia, quae si desit invalide perficitur sacramentum (25).

Novit quidem P. DONOVAN contraria responsa S. Officii, sed censuit Apostolicam Sedem hac in re sententiam suam mutasse, nixus Instructione S. Officii diei 24 ianuarii a. 1877 (26) et constitutione *Apostolicae Curae* (de ordinationibus anglicanis), lata die 13 septembris a. 1896 (27).

In instructione missa ad Episcopum Nesqualiensem, die 24 ianuarii a. 1877, S. Officium edixit matrimonium initum a sponsis, quos minister ante vel immediate post matrimonium docuerat id posse dissolvi quavis de causa per divortium, praesumendum esse invalidum ob defectum requisiti consensus, nisi probetur partes voluisse dare verum ac genuinum consensum.

Ergo, concludit P. DONOVAN, perversa doctrina impedit quominus debita habeatur intentio, quod et affirmandum videtur de baptismo ob parem rationem.

(23) Inter alia vide resp. S. Officii diei 12 maii 1830 apud *Collectanea S. C. de Propaganda Fide*, vol. I, n. 821; cfr. etiam *Acta S. Sedis*, vol. XXV, p. 258.

(24) Non duximus necessarium exponere errores, quibus memorati haeretici pervertunt genuinam doctrinam de sacramentis et in specie de baptismo, cum si in Hispania paucos admodum nacti sint assecutas, si quos habeant. Accuratam expositionem invenies apud C. ALGERMISSEN, *La Chiesa e le Chiese*, trad. it., Brescia, Morcelliana, 1944.

(26) Concilium Flor., Decretum pro Armenis; DB 695.

(26) GASPARRI, *Fontes*, IV, n. 1050, p. 367-369.

(27) *Acta Leonis XIII*, vol. XVI, p. 258.



Hanc doctrinam acceptasse atque confirmasse Leonem XIII, *Const. Apostolicae Curae*, censet DONOVAN, vel saltem censebat. Dixit enim Leo formam *Accipe Spiritum Sanctum* non sufficere ad consecrandum Episcopum, etiamsi addantur verba *ad Officium et opus Episcopi*, cum “*de iisdem iudicandum aliter sit ac in ritu catholico*”.

Unde concludit DONOVAN: Idem dicendum de baptismo ac de ordini —Sed in ordine non confertur sacramentum, quamvis adhibeatur forma in Ecclesia catholica sufficiens, quia minister haereticus eam falso intelligit. Ergo a pari in baptismo bona forma trinitaria nihil efficit, si minister non vult dare veram regenerationem.

Singularem DONOVAN opinionem in praxin deduxerunt nonnullae Curiae ecclesiasticae, sed plures Ordinarii baptismum in eiusmodi sectis collatum habuerunt validum; ex praesumptione statuta in c. 1.070, § 2, in diudicandis causas matrimonialibus, nisi in singulis casibus constitisset fuisse invalide collatum.

Quidam autem opportunum duxerunt de re tanti momenti consulere S. Sedem, quae memoratum responsum publici iuris fieri iussit.

Et optime quidem: nam praedicti haeretici, exceptis addictis ecclesiae liberae catholicae, credunt baptismum esse ritum sacrum a Christo institutum, et baptizant ut exequantur Christi iussum, quamvis errent circa finem et efficaciam huius sacramenti. Iamvero simplex error circa sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem (c. 1.084). A pari, ne dicam a fortiore, error ministri circa sacramentalem dignitatem baptismi non excludit eiusdem intentionem faciendi quod Christus instituit.

Ceterum id expresse docetur a S. Congregatione, in instr. diei 30 ianuarii a. 1830 ad Custodem Terrae Sanctae missa: “*Caveat Episcopus, ita gravissime docet Benedictus XIV in suo percelebri opere de Synodo. I. VII, c. VI, ne incertam et dubiam pronuntiet baptismi validitatem hoc tantum nomine quod haereticus minister a quo fuit cocatus, cum non credat per regenerationis lavacrum deleri peccata, illud non contulerit in remissionem peccatorum atque ideo non habuerit intentionem illud conficiendi, prout a Christo Domino est institutum: siquidem cum in Galliis disputatum olim fuerit an ob praedictam rationem rebaptizandi essent baptizati a Calvinistis, S. Pius V, ad quem controversia est delata, minime rebaptizandos definivit, sacramenti enim validitatem non afficit privatus ministri error, cui praevallet generalis eiusdem ministri intentio faciendi quod Christus instituit, seu quod fit in vera Christi Ecclesia. Quemadmodum testantur acta Conc. Eboricensis a. 1576, ubi haec ad rem adno-*

*tantur: "Ante decisionem Apostolicae Sedis Romanae, licuit fortasse cuique in suo sensu abundare. Verum, quoniam post habitam de hac facultate disputationem, felicitatis recordationis Pius V definitum esse baptismum, quo uterentur calvinistae adhibentes formam et materiam institutam a Christo cum intentione generali faciendi quod Christus instituit, licet errarent in particulari interpretatione et singulari intentione, ut alii fere omnes haeretici erraverunt vel circa intelligentiam formae baptismatis, vel circa aliquem effectum. Ob id baptizatos ab ipsis calvinistis non iterum tingendos sub conditione"* (28).

Neque opinioni P. DONOVAN suffragantur responsum Sancti Officii diei 24 ianuarii a. 1877 et constitutio Leonis XIII, *Apostolicae Curae*.

Nam doctrina tradita in primo documento nequit applicari sacramento baptismi: est enim differentia inter baptismum et matrimonium, quod ut sacramentum non confertur, quando est invalidum uti contractus. Iamvero in contractu contrahentes sunt causae principales, et ideo ut sese valide obligent debent cognoscere naturam et finem operis, quod non requiritur in sacramento, uti audivimus ex c. 1.084.

Obiectioni autem ex Constitutione *Apostolicae Curae* sumptae possumus satisfacere verbis S. Thomae: in baptismo, uti in ceteris sacramentis necessitatis, actus baptizantis tam sollicitè expressus est ad intentionis expressionem, ut non sit necessaria ulterior inquisitio de intentione ministri.

Forma autem, de qua egit Leo XIII, in se non erat sufficiens ad exprimendam potestatem episcopalem, quamvis potuisset recte intelligi, et ideo instituenda erat specialis investigatio totius ritus eduardiani.

Insuper in conferendo baptismo memorati haeretici servant formam essentialem a Christo institutam, in Scripturis traditam, et ab Ecclesia per viginti saecula usurpatam, dum Anglicani immutaverant ritum, manifesto consilio ut alium inducerent ab Ecclesia non receptum, et ut repellerent quod ex institutione Christi ad naturam attinet sacramenti et facit Ecclesia, et ideo manifestum est eorum ministros in conferendo ordine non habuisse intentionem sacramento necessariam, immo sacramento adversam et repugnantem (29).

Ceterum Leo edixit ordinationes anglicanas fuisse invalidas ob defectum formae essentialis, ad abundantiam addidit easdem invalidas declarandas esse ob defectum requisitae in ministro intentionis faciendi quod

(28) GASPARRI, Fontes, IV, n. 871, p. 154.

(29) Leo XIII, Const. cit., n. 10 circa finem.

facit Ecclesia vel quod Christus instituit, cum formae immutatio prodat intentionem sacramento adversam et repugnantem.

Nullum ergo argumentum sumi potest ex documentis S. Sedis ad probandum baptismum collatum a ministro, qui non credit eundem esse institutum ad delenda peccata, esse invalidum.

Contra praxis Ecclesiae, quae numquam dubitavit de validitate baptismi a Novatoribus collati, firmissimum suppeditat argumentum ad asserendam validitatem huius sacramenti a Discipulis Christi, Presbyterianis, Baptistis vel Methodistis collati.

Nam fere omnes Novatores reiciunt genuinam de sacramentis doctrinam, nempe eadem esse non conditiones tantum sed veras causas gratiae, quamvis instrumentales: docent enim iustificationem obtineri sola fide et sacramenta esse signa, quae confirmant et roborant promissionis verbum ut fidem efficacius excitet et uberius nutriat (Lutherus, Melancton, Chemnitz); iustificationem attingi fide, quae est omnino interior et excitatur a Spiritu Sancto in anima praedestinatorum, quamvis concomitanter ad praedicationem verbi Dei, quod continet promissionem gratiae praedestinationis aeternae; promissioni autem addi appendices, quibus confirmetur, symbola quaedam quae sacramenta appellantur, unde sacramenta dicenda signa acceptae iam gratiae et fidei iustificantis vi decreti aeternae praedestinationis (Calvinus), sacramenta esse veluti tesseras, quibus homo Ecclesiae initiatur eique astringitur (Zwinglius); signa ac notas, quibus fideles ab infidelibus dignoscuntur (Carlostadius).

Itaque si baptismus collatus a ministro, qui non recte sentit de eiusdem fine et efficacia, esset invalidus, actum esset de baptismo fere omnium haereticorum.

At si error circa finem et efficaciam alicuius sacramenti ita influat in voluntatem conferentis ut is positivo voluntatis actu excludat sacramentum ipsum vel eiusdem effectum, positio ritus externi nihil operatur (cfr. c. 1.086, § 2), nisi intentio conficiendi sacramentum praevaleat, ut docet cl. P. HÜRTH, S. J., in annotationibus ad memoratum responsum Sancti Officii: Si quis vellet serio conferre baptismum, sed non imprimere characterem, videndum est quaenam intentio praevaleat. Si praevalet intentio conferendi baptismum, hic confertur atque character imprimitur, si praevalet intentio non imprimendi characterem, baptismus invalide confertur (30).

(30) "Periodica de re morali canonica liturgica", 39 (1950), 114.

Baptismus ergo in memoratis sectis collatus, posita necessaria materia ac forma, a iudice ecclesiastico praesumendus est validus, nisi pars concludentibus argumentis evicerit eiusdem invaliditatem ob defectum requisitae in ministro intentionis faciendi quod facit Ecclesia.

Finem imponentes his notulis, iterum monemus S. Officium iussisse ut baptismus in sectis Discipulorum Christi, Presbyterianorum, Congregationalistarum, Baptistarum, Methodistarum collatus praesumatur validus in diudicandis causis matrimoniolibus, quia "*tolerabilius est [enim] aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime contra statuta... Domini... separare*" (31); at minime vetare quominus rebaptizentur, saltem sub conditione, qui, erroribus reiectis, praedictis sectis valedicunt et in sinum S. Matris Ecclesiae redeunt; quin immo in generatim est consulendum, cum baptismus sit necessarius necessitate medii ad salutem et conferat capacitatem recipiendi cetera sacramenta.

Neque prohibentur Ordinarii et parochi rebaptizare, sub conditione, eos qui ex eiusmodi sectis ad veram fidem se converterunt, ad quamlibet dubitationem de validitate matrimonii, ob impedimentum disparitatis cultus, auferendam.

Ceterum c. 732, § 2 jubet ut iterum conferantur sub conditione sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis si prudens dubium existat num revera vel num *valide* collata fuerint: nemo vero contendit nullum extare prudens dubium de validitate baptismi in memoratis sectis collati.

SAC. ARCTURUS DE JORIO

Supr. S. Congr. S. Officii Notarius

---

(31) Innocentius III in c. 47, X, De testibus et attestationibus, II, 20.